INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXVIII

A DIE XXIX MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INSVNT

ADOLFI KIESSLING

ANALECTA PLAVTINA

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXVIII.

Bacchides Plauti cum nuper aliquot adulescentulis enarrabam, praeter argumentum fabulae quod in paucis atticissat, ita ut barbari poetae virtutes et vitia prorsus paene Menandrei exemplaris lepida venustate et festiva elegantia obscuratae sint, inprimis animos nostros in se adverterunt retractationis quam haec comoedia experta est vestigia luculenta. Nulla sane ex his quas Plautinas esse fabulas credimus immunis fuit ab ea immutandi libidine quae cum scaenicis actionibus certa neque evitabili necessitate est coniuncta, neque eorum hominum qui primi harum fabularum corpora legentium in usum conseruerunt atque ex variis et inter se nimis quam discrepantibus exemplaribus composuerunt studio quantumvis religioso potuit omnino contingere, ut omnia quae importuna histrionum licentia inflixit vulnera sanarent — attamen nescio an in nulla Plauti fabula infelicius eis res cesserit quam in Bacchidibus. Qui autem nostra aetate in Bacchidum sordibus emaculandis operam posuerunt salutarem duoviri in omne aevum mansurae memoriae, Godofredus Hermannus et Fridericus Ritschelius, ei hoc emendationis genus, ab Osanno solita sibi artis rerumque turpi ignorantia temere attrectatum, iusto cautiores reformidarunt. Ita factum est, ut haud paucis locis panni a Sullanae Ciceronianaeque aetatis scaenicis adsuti usque ad hunc diem intacti remanserint, quorum aliquot iam retexere conabor: atque faciam initium a nobilissimo illo Chrysali cantico, cuius verba subiciam.

CHRYSALVS

925 Atrídes duo fratres cluent
fecisse facinus maxumum.
Cum Priami patriam Pergamum
divina moenitum manu
armis equis exercitu atque
eximiis bellatoribus
cum mille numero navium
decumo anno post subegerunt,
non † pedibus termento fuit,
praeut ego erum expugnabo meum
sine classe sineque exercitu
930b et tanto numero navium.
932 nunc huc priusquam senex venit
lubet lamentari dum exeat:

O Troia, o patria, o Pergamum
o Priame periisti senex,
qui misere male mulcabere
quadrigentis Philippis aureis.

935 Nam ego hás tabellas obsignatas consignatas quas fero
non sunt tabellae, set equos quem misere Achivi ligneum;
Epiust Pistoclerus: ab eo haec sumptae; Mnesilochus Sinost
relictus: ellum non in busto Achilli set in lecto accubat;
Bacchidem habet secum, ille olim <*ut*> habuit ignem qui signum daret:
940 nunc ipsum exurit; ego sum Vlixes, quoius consilio haec geruntur;
túm quae hic *in*sunt scriptae litterae, hoc in equo insunt milites
armáti atque animati probe; ita res successit mi usque adhuc.
Atque híc equos non in arcem, verum in arcam faciet impetum:
944 exitium excidium exlecebra fiet hic equos hodie auro senis.

931 — cepi expugnavi amanti erili filio aurum ab suo patre.

925 atridas duos *Ba* 928 mille cum *libri quod correxi*, et mille *Beckerus* 929 non peius *Kampmann*, *an* non penitus? tormento fuit *BD* tormentorũ it *C*, termento *ex Festo p. 363* Termentum pro eo quod nunc dicitur detrimentum utitur Plautus in Bacchidibus. 932 priusquam huc *libri*, *correxit Ritschelius*. 937 sumpta *libri quod correxi* 938 set lecto *CD* 939 ut *om libri* 940 Hunc *libri* nunc *Guyetus* hanc gerunt *CD* *941 trochaicum feci* hic sunt *libri quod correxi* 942 meliusque *libri* mi usque *Bothius* *inde a versu 944 Ambrosiani scriptura suppetit.* 944 excidium exitium *BCD*

953 Ilio tria fuisse audivi fata, quae illi fuere exitio:
signum ex arce si perisset: alterum autemst Troili mors:
955 tertium quom portae Phrygiae limen superum scindéretur;
pária item tria eis tribus sunt fata nostro huic Ilio.
Nam dúdum primo ut dixeram nostro seni mendacium
958 et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce iam abstuli:
962 ibi vix me exsolvi, atque id periclum adsimulo Vlixem ut praedicant
cógnitum ab Helena esse proditum Hecubae, set ut illim ille se
blanditiis exemit et persuasit se ut amitteret,
965 item égo dolis me illo extuli e periclo et decepi senem.
959 Iam duo restabant fata tunc nec magis id ceperam oppidum.

960 Post úbi tabellas ad senem tetuli, ibi <*ego*> occidi Troilum:
966 ibi cum magnifico milite, urbis verbis qui inermus capit,
conflixi atque hominem reppuli, dein pugnam conserui seni:
eum ego adeo uno mendacio devici, uno ictu extempulo
cépi spolia. is nunc ducentos nummos Philippos militi,
970 quos dáre se promisit, dabit.
Nunc álteris etiam ducentis usus est qui dispensentur,
Ilio capto ut sit mulsum qui triumphent milites.
Set Príamus hic multo illi praestat, non quinquaginta modo,
quadrigentos filios habet atque quidem omnis lectos sine probro:
975 eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus.

---

945 — Nostro seni stolido ei profecto nomen facio ego Ilio;
— miles Menelaust, ego Agamemno: idem <*sum*> Vlixes Lartius;
— Mnesilochust Alexander, qui erit exitio rei patriae suae:
— is Helenam abduxit, quoia caussa nunc facio obsidium Ilio.
— Nam illi itidem Vlixem audivi, ut ego sum fuisse et audacem et malum:
950 — doli ego deprensus sum, ille mendicans paene inventus interit,
— dum illic exquirit fata illorum: adsimiliter mi hodie optigit.
952 — Vinctus sum, set dolis me exemi, item ille se servavit dolis.

961 — quom cénsuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis.

946 sum *add. Hermannus* 947 exitium *BCD* 948 si Helenam *A* 949 illic eidem audivi Ulixem *BCD* 950 dolis *libri, corr. Acidalius* prensus *A* interiit *libri* 951 dum ibi *libri quod correxi* facta *BaDa,* facta exquirit Iliorum *Ritschelius* (Iliorum *Gulielmus*) acsimiliter *B* autsimiliter *C* 952 me *om BCD* se ille *libri, corr. Hermannus* 953 forent *BCD* 954 etiamst *libri, corr. Bothius.* 955 forte *libri* 956 nostra *libri, corr. Meursius* 959 tum *BCD* 960 detuli *libri, corr. Acidalius* ego *add. Hermannus* 963 olim *libri* illim *Muellerus* (*Pl. Pr. 172.*) 965 expuli *libri* 966 ibi *scripsi:* poste *CD* postea *B* 967 confixit *BDC* 974 equidem *libri.*

Nunc Priamo nostro sist quis emptor, comptionalem senem
vendam ego, venalem quem habeo extemplo ubi oppidum expugnavero.

Set Priamum adstantem eccum ante portam video: adibo atque adloquar.

977 habebo *CD* 978 videbo *BCD*

Quod initium huius cantici per dimetros iambicos discripsi, id eo feci consilio, ut appareret quam vim certum illud discrimen haberet quo volgarium octonariorum conformationem ab eorum discrepare modulatione qui in canticis usurparentur primus nisi fallor intellexit Bergkius (ind. lect. Halens. $186^{2}/_{3}$ p. 11). GHermannus enim Plautum temere octonarios iambicos modo asynartetorum more ex duobus quaternariis copulasse, modo per iamborum octuplicatorum decursum sine ullo vocis interstitio fluere voluisse crediderat, ita ut poeta non certo stabilique consilio sed fluxo casu utriusvis generis electionem regi passus esset: quod non minus abhorret ab ea artis metricae sollertia quam infuisse Plauto credimus, quam ab ipsa quantum perspicere mihi videor rei veritate. Immo plerumque parilis generis octonarios iterabat raroque eorum perpetuitatem alterorum admixtione turbavit, id quod optime ex Amphitruone, quae fabula omnino horum versuum crebritate insignis est, sicut post demonstrabimus, disci potest confirmaturque Asinariae octonariis (vs. 830—859) qui omnes diaeresi carent, id quod Muellerus quoque animadvertit (Plaut. Pros. p. 617). Iam vero si eos versus qui asynartetorum ritu in duas partes aequabiles dirimi possunt dimetris discribimus, ea notatione ipsius poetae nos exsequi consilium duplici statuo motus ratiocinatione. Ipsa enim haec dimetrorum notatio etiamnunc hinc illinc in bonis libris servata est, velut, ut aliquot exemplis defungar, in Mercatoris v. 133 sq. senarium '*Quae te malae res agitant? AC. multae, ere, te atque me,*' excipiunt tres quaternarii

CH. quid est negoti? AC. periimus.
CH. principium <*id*> inimicis dato.
AC. at tibi sortito id optigit.

eademque elici potest ex Veteris scriptura in Menaechm. v. 1004 sq.

O facinus indignum et malum. epidamnii cives erum
Meum hic in pacato opido luciderupier in via qui liberat vos venerit

quae indicio est in archetypo exaratos fuisse dimetros hosce:

O facinus indignum et malum,
Epidamnii cives, erum
meum hic in pacato oppido
luci derupier in via,
qui liber ad vos venerit.

quos non agnovisse miror Brixium, qui altero eiusdem fabulae loco (vs. 120 sq.) Veteris vestigia primum dimetrum separantis recte secutus edidit:

Quando ego tibi ancillas penum
lanam aurum vestem purpuram

bene praebeo nec quidquam eges.
malo cavebis si sapis:
virum observare desines.

Verum ne haec ex eius demum librarii qui Veterem codicem exaravit neglegentia repetamus insigni vetamur errore in Stichi vs 282 commisso atque Ambrosiano libro cum archetypo Palatinorum communi. Is enim versus in utriusque recensionis exemplaribus sic fertur:

282 eraeque egenti subveni b e n e f a c t a m a i o r u m t u u m (*vel* t u o r u m)
quae misera in expectatione est Epignomi adventum viri.

Alterum hemistichium ex versu 303

eramque ex maerore eximam, b e n e f a c t a m a i o r u m m e u m
exaugeam

huc irrepsit. Huius erroris, inde fortasse nati quod archetypi utriusque recensionis librarius voluminis columnam unam quae quadragenis circiter versibus constitit omisit et a fine decimae e. c. columnae ad initium duodecimae transilivit, caussa probabilis vix ulla excogitari potest, nisi iambicos octonarios quibus canticum illud ex parte constat per dimetros divisos fuisse statuas.

Sed multo gravius est quod hos dimetros ad eius praecepti normam direxit Plautus, quod et in iambicis senariis octonariisque et trochaicis septenariis modulandis secutus est, ut in fine versuum penultima sedes, id est senariorum quinta, septenariorum sexta*) septimaque octonariorum, spondeo vel vicariis spondei pedibus trisyllabis expleretur. Ea lex quibusnam circumscripta sit exceptionibus nuper accuratissime persecutus est Luchsius: quas si dimetris quoque concesseris, nusquam fere illius praecepti severitatem violatam esse apparebit. Hinc igitur colligere licet Plautum diaeresi octonariorum non solum ordines sed versus ipsos finire voluisse, et quotiescumque aut octonarii plures ad hanc normam facti perpetua serie sese excipiant aut singuli canticis immixti sint, eos in dimetros necessario esse dirimendos. Nam quod aliquis obverti possit eadem lege etiam septenariorum iambicorum, qui quidem diaeresin patiantur neque caesurae leges sequantur, pedem contineri tertium — neminem autem eo processurum ut septenarios quoque per syzygias dimetris acatalectis et catalecticis discripturus sit — ei argumento propterea nimium tribuere nolim, quod poetae Latini septenariorum usum excultum ex Graecorum arte et doctrina adsciverunt, octonarios vero ipsi invenisse videntur, nisi quis fallacibus Hephaestionis testimoniis decipi se patietur. Itaque non vereor id facere, quo iam Hermanni inclinabat sententia [el. d. m. p. 103], qui Plautum dimetris continuis usum esse non fuit negaturus, nisi plerumque oratio ita composita esset ut sententia octonis pedibus finiretur, et fere ubique etiam huiusmodi versus admiscerentur quos aperte octonarios esse fatendum esset. At prioris argumenti vis ea re elevatur quod quaternis quoque pedibus plerumque sententiarum ordines et membra finiri vel ex iis quae ex Bacchidum scaena adposui exemplis elucet; iisdem docetur Hermannum spuriorum versuum auctoritate deceptum esse. Nam octonarium qui dimetrorum seriem interrumpit

*) Ita enim brevitatis caussa huius legis formulam complecti malo, cum praesertim vetustiorem Romanorum doctrinam tetrametros hos catalecticos ex pedibus singulis solidisque conseruisse ipsa septenariorum appellatio doceat, a Cicerone [tusc. I 44] Varroneque [ap. Diomedem p. 515] et ab eo metrico antiquo cui debentur quae apud Censorinum qui fertur extant [p. 95, 14 Iahn.] solis opinor adhibita.

Cepi expugnavi amanti erili filio aurum ab suo patre

misellae deberi interpolatoris fraudi patet; Chrysalus a Nicobulo id aurum quo filio erili opus est nondum extricavit, sed in eo ipso est ut stolido seni verba det. Neque quod praecedit futurum ‘praeut ego erum expugnabo meum’ cum perfectis ‘cepi expugnavi’ conciliari potest. Hac igitur expuncta interpolatione iam reliqui XVIII dimetri aequabili cursu fluunt. Similem dimetrorum seriem perpetuam habes in Amphitruonis actus quinti initio (1053 –1076); ibi Bromia ancilla prodit lamentabunda, improvisum Alcumenae partum conquerens, inciditque in erum Amphitruonem semimortuum pro foribus iacentem. Totum hoc canticum sic discribendum censeo:

1053 Spes átque opes vitae meae
iacent sepultae in pectore,
neque ullast confidentia
iam in corde quin amiserim.
1055 Ita mihi videntur omnia
mare terra caelum consequi,
iam ut opprimar, ut enicer.
Me miseram: quid agam nescio.
Ita tanta mira in aedibus
sunt facta: uae miserae mihi.
Animo malest: aquam velim:
corrumpta sum atque absumpta sum:
caput dolet: neque audio
neque oculis prospicio satis.
1060 Nec me miserior feminast
neque ulla videatur magis.
Ita erae meae hodie contigit:
nam ubi partuis deos sibi invocat

Strepitús crepitus sonitus tonitrus: subito ut propere ut valide tonuit.
Vbi quísque institerat concidit crepitu: ibi nescioquis maxuma
Vóce exclamat: ‘Alcumena, adest auxilium, ne time:
1065 Ét tibi et tuis propitius caeli cultor advenit.’
Exúrgite, inquit, qui terrore meo occidistis prae metu.
Vt iácui exurgo: ardere censui aedis: ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena: iam ea res me horrore adficit.

Erílis praevertit metus:
adcurro ut sciscam quid velit:
1070 atque illam geminos filios
pueros peperisse conspicor:
neque nostrum quisquam sensimus

quom peperit, neque providimus.
Sét quid hoc? quis hic est senex qui ante aedis nostras sic iacet?
numnam húnc percussit Iuppiter?
credo edepol: nam pro Iuppiter,
sepultust quasi sit mortuus.
Ibo ut cognoscam quisquis est.
Amphitruo hic est quidem erus meus.
Amphítruo. AM. Perii BR. Surge AM. Interii BR. cedo manum. AM. Quis me tenet?
BR. Tua Bromia ancilla. AM. Timeo totus, ita me increpuit Iuppiter.

Hinc qui sequuntur octonarii usque ad v. 1085 diaeresi carent omnes, utpote diverbio inter Bromiam et Amphitruonem sic aptiores. Canticum vero Bromiae tripertitum est: dimetros iambicos XVIII excipiunt varii generis tetrametra, anapaestica, iambica, trochaica artificiose inter se nexa, quibus mira numinis divini species depingitur; claudunt rursus dimetri iambici intermisso septenario trochaico, quo subita Amphitruonis iacentis agnitio praeparatur, bifariam divisi.

Satis iam evicisse mihi videor Plautum dimetris continuis usum esse: alia exempla promam ubi praecepta ad quae hos versus conformaverit accuratius indicavero. Atque prima iubet lex, quemadmodum supra iam significavi, a tertia sede dimetrorum exulare iambum purum, nisi aut versus finiatur cretico vocabulo vel diiambico vel polysyllabo, aut iambo illo penultimo vocabulum mensurae paeonicae [⏑ ⏑ ⏑ –] terminetur, cui legi itidem subiecta sunt ei dimetri quibus septenariorum dumtaxat qui diaeresi dissecantur membrum anterius continetur. Quapropter iam de universis et de huius generis dimetris et de eis quibus suus constat pes et caput agam promiscue. Hanc autem legem duo solummodo ex iis quos fere quinquaginta supra exhibui ex Bacchidibus et Amphitruone versus migrare videntur: Bacch. 932 in libris turpiter hians: *nunc priusquam huc senex venit*, cui aut cum Ritschelio transponendi artificio

nunc húc priusquam senĕx venit

aut cum Wilamowitzio additamento voculae

nunc príus quam huc senĕx <*noster*> venit

succurrere licet. Idem in Amph. 1058: *animo malest, aquam velit* mendum insidet, quod *acua* trisyllaba elui potest, quam pronuntiandi rationem a Lucretio ex sermone volgari quantumvis raro adscitam quominus in cantico Plautino tolerabilem esse statuamus ne iis quidem quae Ritschelius (Opusc. II p. 604 sq.) contra Lachmannum (ad Lucr. p. 379) monuit prohiberi videmur. Neque difficiliore negotio expediri possunt si qua in reliquis fabulis normae severitatem eludere videntur, quae iam per omnes deinceps comoedias Plautinas exsequi longum est: aequis iudicibus satis facient quae nunc ex aliquot eis fabulis de quarum lectione satis constet delibare possum.

Atque in Milite, quae fabula octonariis vel quaternariis iambicis omnino caret, in septenariis plus ducentis non amplius quam septies peccatum esse videtur. Quamquam ter

365 falso ínsimulavit. PA. ém tibi: hic mi id dixit <utiquest>. PH. dixtin?
398 PA. Scin té perisse? SC. Nunc quidem domi certost: certa res est.
902 AC. Salve árchitecte. PA. Salva sis. sed dic mihi ecquid hic te

satis excusationis et a personarum mutatione et a locutionum '*em tibi*' '*nunc quidem*' '*salva sis*' sollemnitate, qua in unum quasi coaluerunt vocabulum, paratum est. In reliquis vero quattuor exemplis editorum culpa qui hac lege artem Plautinam regi ignorabant iambi vitiosi admissi sunt, videlicet:

874 rem omnem Acroteleutium tibi tibique una Milphidippa.

sic Camerarius: *acroteli tibi ut unum (utium CD) tibiq.* libri, unde *tibi Acroteleutium tibique* efficiendum est, quod Studemundium quoque in Stud. lat. I. 299 proposuisse nunc video.

894 mala nulla mulier est . . .

mala mulier est B mala milla (nulla D) mer est CD; mala mulier mers est elegans Studemundi est correctio.

913 quem <porro> ego militi darem tuis verbis. AC. vera dicis

sic Ritschelius: *quarẽ ego B quem ego CD:* corrige *quem darem ego <porro> militi tuis verbis.*

401 atque ut tu suspicatus es <te> eam vidisse ausculantem

sic Ritschelius: *es eam BCD eam A*; Palatinorum scriptura, in qua *es* corripitur non sollicitanda est.

In Mostellaria repugnare videntur

164 . . . tectus qua fui, quam mihi Amor et Cupido
in pectus perpluit meum: neque iam usquam obtegere possum.

sed *perpluit* perfectum est producta penultima secundum praeceptum Varronis de l. l. IX 104.

198 sq. postremo si dictis nequis perduci ut vera haec credas,
ex factis nosce rem: vide, <ego> quae sim et quae fui ante.

sic Ritschelius deleto quod ei visum erat glossemate: *credas mea dicta ex factis nosce rem vides* libri, quorum scriptura utique retinenda et cum Bothio sic distinguenda est:

postremo si dictis nequis perduci ut vera haec credas
mea dicta, ex factis nosce rem: vide quae sim et quae fui ante.

295 iam ista quidem absumpta res erit; dies noctisque estur, bibitur.

quidem absumpta quidem res libri; corrige *iam ista quidem res absumpta erit.*

244 pro illius capite quod dedi numquam aeque id bene locassem.

an: *pro capite illius quod dedi*, ut Pers. 36 *pro capite illius pendam?*

Denique in cantico altero

325 oh óh ocellus es meus: tuus sum alumnus, mel meum

et

328 siné sine cadere me. DE. sino CA. set <ne sine> hoc quod mi in manust.

non sunt iambici sed trochaici versus; priorem eleganter restituit Bothius scribendo '*ó-o-ocellus*', neque minus convenit Callidamatis balbae ebrietati proceleusmaticus '*síne sine*' in initio septenarii haudquaquam insolentior.

In Trinummi versibus iambicis admodum raris tamen vitiosum quaternarium volgo admittunt v. 255 raptóres panis et peni,

at totius quae proxime antecedit enumerationis numeri ita constituendi sunt, ut systema trochaicum decem metris constans claudat versus Reizianus, cuius ἦθος mirifice sententiae verborum convenit:

Véstiplica, unctor, aúri custos, flábelliferae, sándaligerulae, cántrices, cistéllatrices,
núntii, renúntii, raptóres panis ét peni:
fit ípse dum illis comis est inops amator.*)

Simile octo metrorum systema agnoscere mihi videor paulo post in vs. 285 sq., quos Ritschelius in procedosi iambicos esse voluerat, in altera vero editione per septenarios trochaicos dimensus est, propter exitum — *habent hiulca gens* minus probabiles. Ego sic discribo:

túrbant miscent móres mali, rapáx avarus ínvidus: sacrúm profanum, públicum pri-
vátum habent hiúlca gens.

In Stichi scaena prima quos effinxit dimetros Hermannus versuum notatione quam tradunt libri omnino spreta

9 speró quidem et voló, set hoc
soró́r crucior, patrém tuum —
12 civíbus ex omnibús probis —
15 tantós apsentibús facit —

eos vel propter vitiosos iambos tolerari non posse iam patet. Neque plus negotii facessunt qui in alterius actus initio ab editoribus illati sunt errores. Velut statim versus 275

suo núntium lepidum attulit quem ego nunc meae nuntiabo erae

coniectura demum labem traxit: librorum scriptura *meae erae nuntiabo* ita emendanda est, sicut idem Hermannus vidit, ut sollemni verborum ordine '*erae meae*' restituto octonarius evadat hypermeter, quo saepius**) in canticis transitur ad insequentes numeros trochaicos:

suo núntium lepidum attulit quem ego nunc erae meae nuntiábo
ítaque onustum pectus porto laetitia lubentiaque

Eodem artificio usus est Plautus in vs. 290 sq. qui non emendationem sed iustam notationem flagitant hanc:

Set tándem opinor aequiust eram mihi esse supplicem
atque óratores mittere ad me donaque ex auro et quadrigas
quí vehar: nam pedibus ire non queo· ergo iam revortar.

---

*) In versu qui paullo ante legitur 242 quemque nunc fere Ambrosianum secuti sic restituere solent:
nam quí amat quod amat quom extemplo <eius> saviis perculsus est
(*savis sagittatis percussus est BCD*)
mirum quod nemodum glossema apertissimum expulit. Plauto dignam et sententiam et voculationem efficimus scribendo
nam qui amat quod amat quom extemplo <eius> saviis sagittatus est.

**) Sic in Amphitruone v. 1067
ut iácui, exsurgo: ardere censui aedis: ita tum confulgebant;
íbi me inclamat Alcumena: iam ea res me hòrrore adficit.
atque in Bacchidum scaena supra proposita vs. 971
nunc álteris etiam ducentis usus est qui dispensentur
Ílio capto, ut sit mulsum qui triumphent milites.
Ad horum igitur auctoritatem eiusdem scaenae versum 940 Veterem secutus octonarium feci hypermetrum:
nunc ípsum exurit. ego sum Vlixes quoius consilio haec geruntur,
cum reliquorum librorum eiusdem recensionis *CD* scriptura '*hanc gerunt*', quae quin '*hanc rem gerunt*' esse voluerit non dubito, ex errore nata et interpolatione fucata sit. Quo facto versus qui sequitur (941) lenissima adhibita medicina, qua '*hic sunt*' in '*hic insunt*' mutavi, in trochaicos numeros fuit redigendus.

Revertitur igitur Pinacium atque ab aedibus iam recedit, laetum quem allaturus est nuntium iactans, quempropter ipsam dominam adversum sibi ire vel oratores cum donis ad se mittere aequius esse censet, nam

300 secúndas fortunas decent superbiae.

quae clausula est alterius quasi strophae cantici quadripertiti. At mox animus eius vincitur erae recordatione

'quae misera in exspectatione est Epignomi adventum*) viri

Itaque iterum retrorsum revertitur:

Set tándem quom recogito: qui potuit scire haec scire me?
nón enim possum quin revortar, quin loquar, quin edissertem

et concitatissimo cursu ad ianuam redire pergit, nunc iam sua ipsius pernicitate gloriabundus:

contúndam facta Talthybi contemnamque omnis nuntios
simulque ad cursuram meditabor ad ludos Olympios.

ecce iam ad finem curriculi pervenit nimis exigui:

set spátium hoc <me> occidit: brevis curriculi quam me paenitet!
quid hoc? occlusam ianuam video: ibo et pultabo fores.

occidit brevest curriculo fere libri; quod Ritschelius posuit *oppido brevist curriculo* probam efficit sententiam, evertit metrum, cui non magis consulitur Acidalii coniectura *spatium hoc (occidi!) brevest*, cum non *cadendi*, sed *caedendi* verbum requiratur. Quod ego haesitans scripsi, cum ex mea ipsius tum ex Wilamowitzii coniectura natum, meliori cedat invento si de Ambrosiani scriptura certius constiterit.

In Mercatore bis peccatum est

v. 519 PA. possum. LY. si tenue scis, scio te uberius posse nere

et

538 etiam cum uxore non cubet? PA. amabo <te>, an maritust?

priori versui fortasse a tribrevi vocabulo venia parata est: in altera hauscio an *uxori* corrigendum sit. In Pseudolo item duo refragantur versus:

914 PS. Istúc ego iam satis scio. SI. Quid ergo quod scis me rogas?
PS. At hoc volo monere te. SI. Monendus ne me moneas.

priorem Ritschelius ex scriptura Ambrosiani '*Istuc ego satis scio*' et Veteris '*ipsus ego iam satis scio*' perperam conflavit: cautius Ambrosiani fidem si sequemur trochaicum efficiemus septenarium. Alter fortasse ad dimetrorum catalecticorum qui statim sequuntur

PS. nimis tándem abs te contemnor
SI. quippe ego te ni contemnam
stratioticus qui homo cluear?

similitudinem ita leni admissa transpositione refingendus est:

PS. At hoc volo te monere —
SI. monendus ne me moneas.

*) Accusativus *adventum* quem *AB* exhibent minime sollicitandus est: regitur a substantivo quod verbi vim nondum omnem exuit, quale structurae genus nuper Vahlenus vindicavit Ennianae Iphigeniae versui astrologorum signa in caelo quid fit observationis.

Si addidero Menaechmorum exempla iambi vitiosi quotquot extent editorum demum ignoratione in versus graviter corruptos esse intrusa, satis iam cavisse mihi videor ne quis temere me hoc praeceptum, quo dimetrorum pedem penultimum ad penultimi senariorum septenariorumque similitudinem retardatum esse statui, finxisse opinetur.

Haec vero consuetudo sicut abhorret a Graecorum arte, ex quo tamen fonte hoc metrorum genus in poesin latinam deductum esse consentaneum est, ita vel longius ab exempli severitate recesserunt Romani in ea quam ultimo dimetrorum pedi concessam esse voluerunt libertate. Etenim Graeci hos vix aliter ac per systemata conseruisse videntur, ut ab singulorum dimetrorum exitu per synaphiae leges et anceps syllaba et hiatus excluderetur: Plautus, praeterquam quod ad septenariorum similitudinem binos dimetros saepe ita coniugavit ut diaeresi neglecta neque observata quarti iambi puritate unius versus octonarii speciem efficeret, etiam eis quos singillatim congregavit tantum indulsit licentiae, ut ultimam syllabam et ancipitem esse neque cum insequenti vocali coalescere pateretur (cf. Bacch. 930[a] 933[a] 934[a]). Quamquam non tam sibi constans fuit ut non aliquoties binos synaphiae quodam genere copularet, velut

Bacch. 927 armis equis exercitu atque
eximiis bellatoribus
Amph. 189 extincto duello maxumo atque
internecatis hostibus
ib. 193 praeda atque agro adoreaque
adfecit popularis suos
ib. 210 sese igitur summa vi virisque
eorum oppidum oppugnassere
ib. 216 haec ubi legati pertulere
Amphitruo e castris ilico
Stich. 282 quae misera in expectatione
est Epignomi adventum viri

Admittitur igitur synaloepha eadem inconstantia qua etiam in trochaicorum versuum diaeresi hiatus licentiam modo concedi modo evitari nota res est. Hanc libertatem si concedimus poetae apparet Amphitruonis versus 180—218 qui volgo octonarii feruntur per dimetros esse discribendos: qui enim continuitatem metri turbant octonarii diaeresi carentes, ei aut facile corrigi possunt ut

183 aliquem hominem adlegent qui mihi advenienti os occillent probe

ubi *venienti* proclivis est emendatio, aut interpolationis suspicioni sunt obnoxii ut

197 ea nunc meditabor quomodo illi dicam quom illo advenero

qui prorsus mihi quidem languere videtur prae eis quibus eadem sententia statim iteratur:

201 Set quomodo et verbis quibus me deceat fabularier
prius ipse mecum etiam volo hic meditari; sic haec proloquar.

itaque non dubito quin versus 197—200 recentiori Amphitruonis retractationi debeantur. Iam solus restat

194 regique Thebano Creoni regnum stabilivit suum

quem si deleveris, atque potest sane sine ullo sententiae detrimento abesse, habes iam dimetros LXVIII usque ad v. 218 continua seria decurrentes. Sequuntur numeri cretici, quos inde a. v. 246 demum excipiunt rursus octonarii quindecim, qui dimetrorum mensuram respuunt et priorem huius scaenae partem claudunt.

Sed tandem aliquando ad Bacchidum scaenae enarrationem unde oratio deflexit redeundum est. Prodit igitur in scaenam servolus, qui tam praeclare δὶς ἐξαπατῶντος personam sustinet senem ludificaturus cum Mnesilochi epistula: nam ubi prius ipsius commentum quo aurum a filio Ephesi relictum esse illi persuaserat (235—348) Mnesilochi imprudentia corruit (612 sq.), novae iam ei parandae sunt fallaciae, ut seni Philippos quadringentos duplum eius pecuniae quae militi pro Bacchide solvenda est extricaret. Atque alterius huius doli prima iam quasi semina fuerunt sparsa (770—841), cum ipsius militis quantumvis inexpectato adventu Chrysali fabrica non tam disturbata est, quam subitariae rei celeriter arrepta opportunitate promota (842—912). Senex ipse ducentos aureos se daturum esse militi promisit: restat ut ducenti qui reliqui sunt Philippi ei auferantur. Hoc igitur temporis momento, cum in eo res est ut duplicis fallaciae consummetur apparatus, fabulaeque conversio exspectationi quam δὶς ἐξαπατῶντος inscriptio moverat plene satisfaciat, quid aptius excogitari potuit hoc Graeci poetae invento, quo idem ille Chrysalus, qui iam semel praepropera tumens confidentia calliditatem suam temere praedicaverat (640—661), nunc certiore fiducia elatus artes suas atque dolos iterum iactat? Quem ad finem proterve ludit colores quibus poetae tragici Troiae interitum depingere solent ad comoediae ridicularia detorquendo, quod ut in Atheniensi comico minime insolitum est, ita abhorret ab Plauti consuetudine. Plautinae aetatis indolem bellicam Romanique ingenii strenuam severitatem exprimunt in re simili Pseudoli canticum alterum (574—594) vel ipsius Chrysali versus qui paullo antecedunt 709—12 vel subsequuntur 1068—1075: haec ex ipsius barbari poetae officina prodierunt atque mirum quantum discrepant ab huius quod nunc enarramus cantici doctis paratragodumenis.

Orditur ab Atridarum laudibus, qui cum post tot annorum oppugnationem Troiam vi armisque ceperint, id non aeque detrimento fuisse — haec enim versus corrupti *non pedibus termento fuit* sententia esse debet — praeut iam ipse erum suum sine exercitu sola ingenii fretus sollertia profligaturus sit. Atque tam certus est rem prospere processuram ut iam nunc de eri victi deceptique quasi alterius Priami fortuna lamentari incipiat

O Troia, o patria, o Pergamum
o Priame periisti senex,

quam instantis victoriae quasi anteceptam laetitiam qui non intellexit, is ut ad sequentia praepararet animos versum 931

cepi expugnavi amanti erili filio aurum ab suo patre

cum metri sententiaeque damno interpolavit. Lamentationibus illis reddi celeberrimum canticum quo

Andromacha capta apud Ennium Troiae Priamique deflet interitum*) iam dudum est intellectum: tetigerat nimirum Menander eandem tragoediam Graecam quam Ennius vortit barbare. Neque ex alio hausta sunt fonte quae statim in altera cantici pericopa sequuntur, quibus ad Ἰλίου περσίδος similitudinem singula et argumenti comici momenta et personarum partes exiguntur. Nicobulus senex Priami personam sustinet (cf. 973. 976. 978): tabellae quas Chrysalus secum fert equi lignei instar sunt: Pistoclerus unde eas sumpserat (cf. 715. 727) alter est Epius: Mnesilochus Sinonem exprimit, nisi quod non in busto Achillis cum igni sed in lecto accubat cum Bacchide quae ipsum exurit: Chrysalus denique est Ulixes cuius consilio omnia haec geruntur. Qui sequuntur versus quattuor quibus litterae in tabellis scriptae cum militibus in equo occlusis conferuntur, ei vel propter sermonis artificia ludibunda Plautum praeter exemplaris fidem addidisse censeo.

Hucusque omnia docta, perspicua, inter se nexa: iam vide mihi quae inde a 945 sequuntur quibus denuo quasi de integro rerum Troicarum instituitur comparatio prorsus a priore diversa. Quod seni Nicobulo iam non Priami sed Ilii partes tribuuntur, id quidem non magni est momenti, cum etiam in eis quae sequuntur v. 956 eadem appareat varietas: at miles cui Bacchis eripitur Menelai partes agit, Chrysalus autem, qui modo cum milite illo acerrime conflixerat, Agamemnonis, quod perquam ineptum est statimque Ulixis persona substituta corrigitur. Iam vero Mnesilochus Alexander est, quippe qui Bacchidem secum abducere velit: sed quomodo nunc Ulixes Chrysalus novo huic Paridi opitulaturus Ilium oppugnare poterit? Quid multa? omnia haec, quae adversis frontibus secum pugnant neque ulla ratione cum fabulae argumento conciliari possunt, futtiliter excogitata sunt ab homine qui notissima nomina ex Troicarum fabellarum suppellectili temere corrasit. Has ineptias nemo tam perverso utetur iudicio ut ex Menandro sumpta esse credat: at possit aliquis eo confugere ut, quemadmodum Plautus et in eis quae proxime antecedunt (941—944) et in eis quae mox in fine cantici subsequuntur (976—978) sua Menandreis admiscuit, eadem ratione etiam haec a barbaro poeta male concinnata esse opinetur. Sed absunt omnes Plautini sermonis facetiae ac lepores, omnes numerorum nervi: itaque magis eo sententia mea inclinat ut cum Wilamowitzio hos octo versus ab insulso histrione adsuta esse censeam, qui populi indocti gratia nomina trita et volgaria pro doctioribus et exquisitioribus reposuit. Quod ut argumentis confirmem non abutar prava lectione versus 951, cui editores obtruserunt ex Gulielmi coniectura vitiosam *Iliorum* appellationem, cuius alterum exemplum desidero: sed quod in eodem versu Ulixes fata illorum exquisivisse dicitur, id ex trium fatorum commemoratione quae postea demum sequitur natum est. *Fata* autem genuinam esse scripturam Ambrosiani Palatinorumque librorum consensu firmatur.

Remota hac interpolatione in tertia cantici stropha rursus omnia docta et exquisita: pergit Chrysalus in coepta comparatione atque suam ipsius victoriam non minus in fatis esse significaturus quam Troiae interitum, qui a trium fatorum consummatione portenderetur, fata illa enumerat, palladii raptum, Troili mortem, portae Phrygiae demolitionem. Ultima res cur fatalis

---

*) O páter, o patria, o Priami domus,
saeptum altisono cardine templum! eqs. (Enn. fr. 81 sq. Ribb.)

sit docemur eis quae in Servianorum scholiorum farragine ad Aen. II 13 leguntur '*fatisque repulsi: oraculis secundum Plautum tribus; vita scilicet Troili, palladii conservatione, integro sepulcro Laomedontis, quod in Scaea porta fuit: ut in Bacchidibus lectum est.*' ubi regis qui urbis moenia condidit monumentum in ipsa porta exstructum mirum videri potest, quamquam a priscorum temporum moribus non prorsus abhorret, sicut nuper didicimus Mycenensium nobilium sepulcris iuxta portam intra moenia detectis. Certe huius fati singularitas non ex recentissimae aetatis aliquo commento insulso nata est, sed ex antiquiore poesi repetenda. Ceterum si quis Vergiliani scholii doctrinam ex Plautino quodam commentario promanasse credere volet, per me licebit, modo ne de Cornelii si dis placet Sisennae commentariis cogitet, quem hominem ut ab Hadriani aetate propius abesse statuam quam a temporibus Sullanis certissimis inducor rationibus*).

Tribus igitur illis fatis paria Nicobulo quoque exitio fore iactat Chrysalus. Nam sicut Ulixes primum clam dolo Troiam ingressus sit ut palladium ex arce auferret, ita se dudum senem decepisse, cum ei aurum a filio Ephesi relictum esse persuasisset. Deinde se tamquam Troilum occidisse tum, cum tabellas novis struendis insidiis ad senem tulisset: ibi sese paene captum et vix e periculo exsolutum esse, quemadmodum Ulixem ab Helena cognitum Hecubaeque proditum vix blanditiis se servasse ferrent. Quid vero Ulixi cum morte Troili? immo in raptu palladii agnitum eum esse ab Helena nota est fabula. Et Chrysalus nonne in primo statim mendacio quod de hospite Ephesio auroque ibi relicto dixerat, quo mendacio signum quasi ex arce iam abstulisse sibi videbatur, detectus et captus est? Itaque patet versus hos quattuor

Ibi vix me exsolvi atque id periclum adsimulo, Ulixem ut praedicant
  cognitum ab Helena esse proditum Hecubae, set ut illim ille se
  blanditiis exemit et persuasit se ut amitteret,
item ego dolis me illo extuli e periclo et decepi senem.

quippe quibus palladii raptus significetur non suo loco in libris legi sed pone v. 958 esse collocandos.

In ultima denique quae restat cantici parte alteram quam modo instruere coepit ἀπάτην Chrysalus comparat cum morte Troili, quae alterum inter Troiae fata obtinet locum postquam Ulixes signum Palladis ex arce deripuit. Quamquam longe diversa est volgaris harum rerum fama, qua Troilus vixdum e pueris egressus statim in initio τῶν Ἰλιακῶν ab Achille deprensus et interfectus esse fertur. Hanc secutus est extremae Iliadis partis poeta (cf. Ω 257) expressitque Cypriorum auctor atque vetustior Atticorum tragoedia velut Sophocles. A qua longe discrepat narratio apud Dictyn IV 9 et multo explicatior apud Dareta 29—33, qui post Hectoris mortem Troilum solum Troianorum res sustinuisse tradunt. Nequis haec utpote ab impudenti infimae aetatis mendacitate profecta contemnat dissuadet epigramma in πέπλον receptum, quod reddit Ausonius, Vergilianos colores mutuatus sicut iam Seneca in Agamemnone 747 fecerat (epitaph. her. 18) ita:

*) Eandem de huius [Statilii?] Sisennae aetate sententiam significasse Bergkium (de D finali p. 124) nunc demum video.

Hectore prostrato nec dis nec viribus aequis
congressus saevo Troilus Aeacidae
raptatus bigis fratris coniungor honori,
cuius ob exemplum nec mihi poena gravis.

Atqui ulterius huius fabulae vicissitudines cantici Plautini ope nunc persequi licet: nempe in ea quam Menander carpit Enniusque vertit tragoedia, cum Troili mors inter Troiae fata enumerata fuerit, non adulescentuli immaturus deflebatur obitus, sed eius herois mors fatalis, in cuius vita ac virtute vel propter ipsius nomen patriae salus posita esse videbatur. Quam autem tragicus hic poeta quisquis fuit mythi formam expressit, eandem exhibet vasculi pictura attica ab O. Iahnio (Troilus und Telephus 1859 p. 7) edita, cuius inscriptiones litteraturam medii saeculi quinti reddunt.

Apte igitur cum hac Troili morte comparat Chrysalus eum dolum in quo cum ipso milite quasi altero Troilo ei confligendum fuit: qua in comparatione nondum omnia persanata sunt. Turbat enim sententiarum ordinem versus 961

quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis,

quae apta non sunt cum propter *dudum* vocabulum, siquidem Bacchidem non meretricem esse sed militis uxorem novo demum hoc dolo seni persuadere coepit Chrysalus, tum quia hac ratione non satis apparet quae inter falsam hanc senis opinionem et Troili mortem intercedat similitudo. Itaque hunc versum ex Wilamowitzii sententia expunxi. Iam vero patet nullo modo in versibus qui nunc sese excipiunt

post ubi tabellas ad senem tetuli, ibi ego occidi Troilum:
post cum magnifico milite, urbis verbis qui inermus capit,
conflixi atque hominem reppuli.

alterum *post* tolerari posse: reposui igitur quod simplicissimum fuit *ibi*.

Quo diutius quam speraveram in huius cantici examinandis rationibus commorandum mihi fuit, eo brevius iam altero scaenicae interpolationis exemplo defungar, quod in versibus 500—525 detexisse mihi videor. Mnesilochus in patriam reversus ubi a Chrysalo certior factus est et Bacchidem amicam a Pistoclero inventam et servoli calliditate copiam auri sibi factam esse, primum effusa laetitia nihil amico vero divinius profitetur, nihilque sanctius gratitudinis officio, quod mox insigni specimine declaraturum spondet (385—404).*) At ubi in

*) In hoc Mnesilochi sermone pleraque sana esse videntur, modo deleveris versus 393 alterum hemistichium *sed eccum video incedere* ex versus 403 exitu *sed eccos video incedere* simili librarii errore illatum atque fuit is de quo supra p. 7 ad Stichi 282 dixi (cf. Bacch. $64^b = 73$). Praeterea nescio an v. 396

nimio impendiosum praestat te quam ingratum dicier

utpote ex v. 394

nam pol meo quidem animo ingrato homine nihil inpensiust

male detortus expellendus sit; quo facto structura paullo liberiore sed minime vitiosa *illum laudabunt boni* ad eum qui malefactorem amittit, *hunc etiam ipsi culpabunt mali* ad eum qui benefactorem relinquit relatum est.

scaena quae sequitur (405—500) ob Lydi errorem falsa ei de Bacchidis et Pistocleri amore subnascitur suspicio, subito omnia haec promissa exciderunt atque ira et dolore percitus nihil aliud animo agitat nisi quemadmodum amicae amicique perfidiam ulciscatur. Hoc igitur consilium inde a versu 500 eloquitur, sermone mirum in modum incondito et perplexo. Eaedem repetuntur sententiae (506 = 515, 511 = 504. 505), eadem iterantur verba, velut vs. 512—514 iterum paulisper immutati post 519 in libris praeter Ambrosianum leguntur. Sententiarum nexus aliquotiens nullus, velut post v. 503, ubi malo *suo* Bacchis Pistoclerum exoptasse tum demum recte dicitur, si vs. 504 et 505 omittantur, quod qui intellexit emendator vetustus pro *suo* reposuit *meo* in Palatinorum scriptura *suomeo* etiam nunc servatum. Ne longus sim: duplicem eiusdem sermonis recensionem male contaminatam agnosces, ubi hanc tabulam in qua utriusque recensionis formam discernere conatus sum accuratius inspexeris:

500 Inimiciorem nunc utrum credam magis
sodalemne esse an Bacchidem incertum admodumst.
Illum exoptavit potius? habeat. optumumst.

503 Ne illa illud hercle cum malo fecit suo:	503 Ne illa illud hercle cum malo fecit meo:
	nam mihi divini numquam quisquam creduat,
	505 ni ego illam exemplis plurumis planeque amo.
506 ego faxo hau dicet nactam quem deluserit.	515 Numquam edepol vivom me inridebit: nam mihi
Nam iam domum ibo atque aliquid surrupiam patri.	decretumst renumerare iam omne aurum patri.
Id isti dabo: ego istanc multis ulciscar modis:	Igitur mi inani atque inopi subblandibitur,
adeo ego illam cogam usque ut mendicet meus pater.	tum quom nihilo plus ad suam rem illud referet,
Sed satine ego animum mente sincera gero,	519 quam si ad sepulcrum mortuo dixit logos.
510 qui ad hunc modum haec hic quae futura fabulor?	
Amo hercle opinor ut quod pro certo sciam.	
Verum quam illa umquam de mea pecunia	Sed autem quam illa umquam meis opulentiis
ramenta fiat plumea propensior	ramenta fiat gravior aut propensior
514 mendicum malim mendicando vincere.	mori me malim excruciatum inopia.

520 Profecto stabilest me patri aurum reddere.
Eadem exorabo Chrysalo causa mea
pater ne noceat, neu quid ei suscenseat
[mea causa de auro, quod eum ludificatus est.]
Nam illi aequomst me consulere, qui causa mea
mendacium illud dixit. vos me sequimini.